

**www.e-rara.ch**

## **Ordo Hierarchicus Canonico-Dogmaticè Expensus**

**Mayr, Cherubinus**

**Augustæ Vindelicorum, Anno MDCCXL**

**Zentralbibliothek Zürich**

Shelf Mark: RRr 159

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-56704>

Distinctio II. De subiecto, & licita vel illicita administratione, aut susceptione sacramentorum.

---

### **www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

## DISTINCTIO II.

*De  
Subjectio, & licita vel illicita  
administratione, aut susceptione  
Sacramentorum.*

### CAPUT I.

*De Subjecto Sacramentorum, ejus-  
que ad valorem requisitis.*

#### SUMMARIUM.

*26. Solus, non omnis homo viator, est subjectum ca-  
pax quorumvis Sacramentorum. 27. Valent aliqua  
sine intentione suscepta. 28. At non in adultis, ra-  
tionis capacibus; 29. In quibus tamen intentio  
habitualis regulariter sufficit. 30. Quid speciale in  
Sacramentis Pœnitentiæ & Matrimonii. 31. Pro-  
secutio istius. 32. Differentia quoad intentionem  
in Ministrante & suscipiente.*

#### PUNCTUM IX.

*Quodnam sit Subjectum Sacramen-  
torum, & an in eo requiratur in-  
tentio?*

*26. RESOL. I. Solus homo, dum in hac  
vita peregrinatur à Domino, est subjectum  
capax*

capax Sacramentorum; sunt quippe ab eo instituta ad medicamentum naturæ humanæ per peccatum Adamiticum fauciata; at post mortem nullus est locus medicamento, nam beatis, utpote valentibus, non est opus Medicô: damnatis verò, tanquam de salute desperatis, inutiliter applicatur Medicina. Non tamen rursus quisvis homo in hac vita est capax omnis Sacramenti recipiendi; quandoquidem infans in utero materno, si nulla arte possit aqua ad ejus corpus perferri, est incapax omnis Sacramenti: alius verò non baptizatus inhabilis est pro eo statu ad omne Sacramentum à Baptismo distinctum, cum Baptismus sit janua reliquorum Sacramentorum.

RESOL II. Qui nunquam usi sunt ratione, veluti infantes, & perpetuò amentes, ad validè suscipienda Sacramenta, quorum sunt capaces, non inhabilitantur ex defectu intentionis, uti de Baptismo Parvulorum definitum est in Concil. Trident. *sess. 7. Can. 13.* de Confirmatione & Eucharistia constat ex praxi nascentis Ecclesiæ, in qua conferebantur etiam infantibus Baptizatis: de Ordine probabitur suo loco. Attamen reliqua Sacramenta suscipere non possunt; eò quia Matrimonium essentialiter constituitur ex consensu proprio contrahentium, Pœnitentia verò & Extrema Unctio præsupponunt peccatum

tum personale tanquam conditionem sine qua non.

28. RESOL. III. Veruntamen in Adultis, rationis capacibus prærequiritur etiam ad valorem aliqua intentio, seu voluntas suscipiendi, ut contra Cajetanum tenet communissima DD. & satis indicatur à Concilio Arausicano *Can. 11.* jubente Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ subito obmutescenti administrari, *si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet.* Constat etiam ex praxi Ecclesiæ, & nominatim ex Rituali Romano, prohibente adultos, qui aliquando habuerunt rationis usum, baptizari, si non ostenderint voluntatem Baptismi stante usu rationis. Quod autem ab Ecclesia declaratum est de Baptismo, id à fortiori extendendum est ad alia Sacramenta, quæ non sunt tam necessaria ad salutem, ac Baptismus. Congruit etiam, ut nullus adultus sanctificetur, nisi in suam sanctitatem consentiat. Neque contrarius est Innocentius III. in *cap. Majores 3. de Bapt.* ubi in fine ait: *Tunc ergò characterem Sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenerit obfistentem:* siquidem hæc verba non sunt intelligenda de simplici carentia contrariæ voluntatis, sed de carentia conjuncta cum voluntate saltem habituali, ut colligitur ex verbis præcedentibus, cum inquit dormientes & amentes suscipere characterem Baptismi,
- si*

*si prius catechumeni extitissent , & habuissent  
propositum Baptizandi.*

## PUNCTUM X.

*Qualisnam Intentio in Subiecto Sa-  
cramentorum requiratur , & an  
aliud quid præterea ?*

RESOL. I. Regulariter in suscipientibus 29.  
adultis requiritur , & sufficit intentio ha-  
bitualis; imò in quibusdam etiam volun-  
tas interpretativa in eo sensu, quòd quis  
habuerit voluntatem generalem suscipien-  
di remedia ad salutem necessaria, vel pro-  
ficua, & vivendi ac moriendi more Catho-  
lico. Primum patet in supradicto exem-  
plo Canonico de dormientibus & amen-  
tibus , in quibus quamnam aliam inten-  
tionem, præterquam habitualementem, posue-  
ris, non video. Alterum exemplificari so-  
let in eodem Sacramento Baptismi; si quis  
enim habeat voluntatem generalem susci-  
piendi remedia omnia ad salutem necessa-  
ria , utique implicite etiam censetur ha-  
bere voluntatem suscipiendi Baptismum ,  
qui necessitate mediæ & præcepti est ad sa-  
lutem necessarius. Et verò si de tali vo-  
luntate præhabita constet, potest ac debet  
is, etsi sensibus destitutus, instante peri-  
culo mortis absolute baptizari, tamen si  
sciatur fuisse aliquando pollutus peccatis  
personalibus; tum quia dispositio seu actus

Pœnitentiæ non est de valore, sed tantùm de licito usu Baptismi respectu adultorum peccatis personalibus mortalibus obstrictorum, ac consequenter Sacramentum non exponitur periculo nullitatis: tùm quia in tali meritò præsumitur etiam actus pœnitentiæ, similiter ad salutem necessarius, præcessisse: tùm quia si usu rationis careat, non recipit Sacramentum indignè, id est, Sacrilegè, sed tantùm infructuosè cum spe reviviscentiæ, si reconvaluerit. Ast si non constet de tali voluntate, sed dubitetur solum, adjicienda est conditio, vel saltem mente retinenda, sicut in absolute, quando de actibus ex parte pœnitentis prærequisitis dubitatur; quia alioquin Sacramentum exponeretur periculo nullitatis. Resolutioni huic non obscure præluxit D. Augustinus *L. 1. de Adulterin. Conjug. cap. ult.* asserens etiam adulteros esse Baptizandos, *si desperati, & intrà se pœnitentes jacuerint, cum nemo noverit, utrùm antè statuerint in peccatis perseverare.* Idem Judicium ferri potest de Sacramentis Confirmationis, & Extremæ Uñtionis, utpote sumoperè ad salutem conducentibus, ac proin affectivè inclusis in voluntate suscipiendi Sacramenta ad salutem proficua, & more Catholico vivendi, & moriendi. Quanquam autem Confirmationis Sacramentum conferri non soleat, nisi aliquo modo intelligentibus, & petentibus, cum supersint alia salutis remedia; tamen Sa-  
 cra

cramentum Extremæ Unctionis etiam illis, qui ex gravi aliquo morbo in amentiam ceciderint, aut ratione vel sermone uti desiêrint, conferendum esse, modò ante morbum pietatem coluisse Christianam dicantur, obtinet receptus Ecclesiarum usus. Idem extendit P. Sporer *Parte 1. cap. 2. n. 154.* ad Sacramentum Eucharistiæ sub cautela, *si absit periculum vomitûs, vel similis positivæ irreverentiæ.* Respectu Sacramenti Ordinis validè ab adultis suscipiendi sufficere quidem intentionem habituales, non tamen ità generalem, dicam suo loco infra.

RESOL. II. Verùm ecce! rursus aliquid 30.  
particulare sibi deposcunt Sacramenta Pœnitentiæ & Matrimonii; licèt enim vita hominis Christianè acta det Sacerdoti sufficiens fundamentum præsumendi, aut saltem conjectandi, quòd is habeat, vel habuerit voluntatem hic & nunc confitendi, doleátque sufficienter de suis peccatis; & ideo ei impertiri posset absolutio sub conditione, si grave mortis immineret periculum: attamen reipsa voluntas sola confitendi, sinè dolore præsentè vel præterito, nil ad valorem confert, cum dolor partibus essentialibus hujus Sacramenti vel annumeretur, vel æquiparetur. In Matrimonio verò; etsi intentio habitualis contrahentium sufficiat post contractum initum ad hoc, ut ex conditionato fiat absolutum; non tamen sufficit ad ineundum

contractum, cum actualis consensus in Matrimonium, internus & externus simul, sine intentione actualiter influente, intelligi non possit. Hinc dixi intentionem habitualement sufficere *regulariter*. Nulla verò ratione potest ad hoc Sacramentum sufficere voluntas illa generalis, cum nec implicitè se ad Matrimonium extendat.

31. RESOL. III. Ultra intentionem verò, dolorem, & Confessionem ad minùs virtualement, qui sunt actus pertinentes ad voluntatem, etiam ex parte intellectùs exigit Sacramentum Pœnitentiæ in suscipiente essentialiter fidem in DEUM Authorem & Remuneratorem omnium, nullum verò aliud Sacramentum. Quare? quia dolor verus, supernaturalis, & efficax, qui est ad essentiam hujus, non aliorum Sacramentorum, necessarius tanquam *quasi materia* juxta Concilia Florentinum & Tridentinum, sine tali fide in DEUM subsistere non potest; *Credere enim oportet accedentem ad DEUM, & quia est, & quia requirentibus se remunerator est. Heb. 11.*

32. Quòd si demum rationem à priori desideres, quare Sacramenta in Ministrante exigant intentionem virtualement ad sui valorem, in suscipiente non: è contra Sacramentum Pœnitentiæ postulet in suscipiente fidem, & non in Ministrante? Dico rationem primi esse; quia Ministrans habet se activè respectu Sacramentorum, & ideo indiget intentione actu influente: at  
su-

fufcipiens, qua talis fe tantùm habet paf-  
fivè, & idcirco non indiget intentione in-  
fluente, fed tantùm, fi adultus fit, remo-  
vente obftaculum contrariæ voluntatis  
præhabitæ vel præfumptæ, quod etiam in-  
tentio habitualis præftat. Ratio verò fe-  
cundi eft; quia confectio Sacramenti Pœ-  
nitentiæ non dependet à difpofitione Mi-  
niftri, fed à poteflate clavium per volun-  
tatem ad tale fubjectum applicata, quæ  
poteftas per folius fidei internæ carentiam  
non aufertur; at fufceptio illius dependet  
à difpofitione pœnitentis tanquam mate-  
ria, vel quafi, ficque per ejus defe-  
ctum irritatur.

## CAPUT II.

De licita & illicita adminiftratione  
Sacramentorum.

### SUMMARIUM.

33. Propenitur Regula generalis. 34. Quomodo peccent  
non habentes poteflatem expeditam conficiendi Sacra-  
menta. 35. Aut non fervantes requifita essentialia.  
36. Aut notabiliter immutantes caremonias. 37. Aut  
conficientes Sacramentum in mortali. 38. Aut præ-  
bentes indignis. 39. aut fimulantes adminiftrationem?  
40. Item quomodo peccet in mortali diftribuens Eucha-  
riftiam, aut inferviens Sacrificio ut Minifter? 41.  
Quid de excipiente Confefiones, aut conficiente Sa-  
cramentalia in tali ftatu.

## PUNCTUM XI.

*Quanam sint Conditiones generatioris licitæ Administrationis Sacramentorum?*

33. RESOL. I. Insignis Moralista P. Patrius Sporer *Part. 1. Theol. Sacram. cap. 3. Sect. 2.* Conditiones omnes licitæ administrationis Sacramentorum paucis sic recenset: *Requiritur, ut habens jurisdictionem non impeditam, ministret valide, & ritè, dignè, & dignis.* De quibus, si placet, inspicite *Recollectiones nostras Morales Part. 2. fol. 30.* Ut autem distinctius procedamus, & initium à generalioribus conditionibus, paulatim ad specialiores processuri, faciamus, sit
34. RESOL. II. Peccant mortali peccato Sacrilegii primò, qui attentant conficere Sacramentum, cujus conficiendi sciunt se non habere potestatem; aut habere quidem, sed impeditam quo ad exercitium per censuram, irregularitatem, vel prohibitionem Ecclesiasticam, impedimento non sublatò per necessitatem; aut etiam solummodò dubitant cum fundamento reali de carentia debitæ potestatis, nisi (excipit cum Suarez Reginaldus *cap. 8. num. 54.*) omnibus pensatis, judicent probabilius se habere talem potestatem, quàm non habere, vel gravis necessitas urgeat, cui non possit viâ securiore subveniri. Ratio clara

clara est; quia utrobique irrogatur gravis injuria Sacramento, vel in abusu materiæ & formæ ad validum Sacramentum institutæ; vel in abusu ipsius potestatis & actionis Sacramentalis; vel in eo, quòd Sacramentum temerè periculo nullitatis exponatur, quæ tamen temeritas per majorem probabilitatem valoris, & necessitatem urgentem abstergitur.

RESOL. III. Peccant eodem modo mortaliter secundò, qui in usu activo Sacramentorum aut non servant integras materias & formas à Christo institutas, aut non eliciunt intentionem pro valore præscriptam, aut sinè urgente necessitate adhibent materiam vel formam incertam. Ratio est, quæ prior. Neque in hoc excusat ignorantia Juris, cum nemo ignorans faciendorum debeat se tam sancto Ministerio ingerere: Excusat tamen subin ignorantia facti, si nempe sit inculpabilis.

## PUNCTUM XII.

*Qualiter ulterius contra rectam  
Sacramentorum administrationem  
delinquatur?*

RESOL. I. Peccant præterea mortaliter tertio, qui immutant, aut non servant Ritus solemniores ab Ecclesia in Sacramentorum administratione adhiberi præceptos, etsi ad essentiam minimè necessarios; quales

les ab omnibus censentur ritus consecrandi in azymo apud Latinos, & admixtio aquae in vino consecrando.

37. RESOL. II. Peccant etiam mortaliter quartò, qui scienter peccato mortali irretiti, extra casum repentinæ necessitatis, sinè Confessione vel Contritione prævia, saltem æstimata, ex officio tanquam Ministri specialiter consecrati, aut deputati, conficiunt aliquod Sacramentum. Constat hoc ex Rituali Rom. *tit. de iis, quæ in Sacramentorum administratione specialiter servanda sunt.* Ubi ait impurè & indignè Sacramenta ministrantes in æternæ mortis reatum incurrere. Ratio verò sumitur partim à sanctitate ipsorum Sacramentorum; partim à speciali consecratione Ministrorum facta cum infusione gratiæ ex opere operato per proprium Sacramentum Ordinis. Unde cum hæc posterior in aliis, non ex officio Ministrantibus, deficiat, juxta communiorem Theologorum non peccant mortaliter, si in statu disgratiæ ministrent. Tales sunt Laici baptizantes in necessitate, & conjuges fideles cum intentione Sacramenti contrahentes; non item Sacerdotes & Diaconi in necessitate, vel aliàs insolemniter baptizantes, cum per Ordinationem suam sint consecrati ad baptizandum solemniter & insolemniter, & officium baptismationis sit annexum ab ipso Christo huic suæ consecrationi, solemnitas autem Baptismi solùm habeat originem ab

ab Ecclesia. Ità Bosco, Illfung, Henno, Laymann, & alii apud ipsos contra P. Mezger.

RESOL. III. Item mortaliter peccant, 38. per se loquendô, ministrantes Sacramenta iis, quos scientiâ, extra Confessionem acquisitâ, nôrunt suscepturos indignè: & quidem peccant contra Religionem, in quantum dant sanctum canibus: contra fidelitatem, quia abutuntur suô Ministeriô in destructionem, contra illud 1. Cor. 4. *Jam quaritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur; & contra charitatem, quatenus peccato proximi cooperantur.* Igitur Peccator publicus, non emendatus, repellendus est, sive petat Sacramentum publicè, sive occultè. Idem est faciendum peccatori occulto, occultè petenti Sacramentum; sed si publicè petat, repelli non potest, ut cavet Rituale Rom. tit. de SS. *Evcharistia Sacramento*, & vetat præceptum Divinum de non infamando proximo, adhuc occulto peccatore; quot enim jurgiis aliàs, scandalis, ac litibus Sacramentorum administratio exponeretur?

### PUNCTUM XIII.

*An & quinam alii restent modi mala administrationis Sacramentorum?*

RESOL. I. Peccant itidem mortaliter, 39. simulantes Sacramentorum administratio-  
nem

nem sic, ut ponant quidem materiam & formam determinatè à Christo institutas, sed sola denegatione internæ intentionis Sacramentum impediunt, ut constat ex damnatione hujus Propositionis ordine 29. in Decret. Innocentii XI. *Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi*; docentque Sporer *Part. 4. cap. 1. num. 357.* Gormaz *tr. de Sacram. disp. 5. sect. 5. num. 362.* qui tamen cum Bosco tenent non peccare, qui causâ intentatæ mortis, vel similis mali ponunt consensum in contractum Matrimoniale, quem sciunt in tali casu esse invalidum ex lege superioris; quia talis consensus non est à Christo elevatus ad rationem Sacramenti, sed solus consensus validus.

40. RESOL. II. An peccent mortaliter Sacerdos, vel Diaconus cum conscientia peccati mortalis S. Evcharistiam distribuentes; item Diaconus, & Sub-Diaconus in suo Ordine Ministrantes, incertum est, & in utramque partem disputatur. Ratio negandi est; quia tales non conficiunt Sacramentum. Ratio affirmandi, quia exercent actus, ad quos solemni consecratione cum collatione gratiæ ex opere operato sunt deputati. Censeo ergo cum Clariss. P. Babenstuber *Curs. Theol. Moral. tr. 8. p. 1. d. 2. a. 4. num. 9. & 10.* Sententiam negantem esse quidem in praxi tutam, affirmantem tamen prævalere probabilitate, præsertim extrinsecâ.

RESOL. III. Attamen qui solùm exci-41.  
pit Confessiones in statu peccati mortalis,  
habens propositum se ante absolutionem  
ponendi in statu gratiæ: item, qui assistit  
Matrimonio, sponsisque benedicit: & qui  
conficit sola Sacramentalia, ut sunt con-  
fectio Chrismatis, benedictio Olei infir-  
morum, consecratio templorum, bene-  
dictio Abbatum, collatio primæ tonsuræ,  
benedictio vestium Sacerdotalium, aquæ  
lustralis, cinerum, palmarum &c. Hi, in-  
quam, hos actus in statu mortalis peccati  
citra scandalum peragendo, saltem morta-  
liter non peccant; quia nec conficiunt  
Sacramentum, nec tale quid exercent, ad  
quod *principaliter* sunt consecrati. Ità  
communissimè Theologum Pla-  
telio *Part. 5. num. 75.*



## CAPUT III.

### De licita & illicita susceptione Sacramentorum.

#### SUMMARIUM.

42. *Premittitur Regula Generalis.* 43. *Peccant invalidantes Sacramentum.* 44. *Omittentes, qua requiruntur ad usum decentem.* 45. *Sinè debita dispositione accedentes ad Sacramenta mortuorum, 46. vel vivorum.* 47. *Itémque negligentes ministrare, vel suscipere, dum obligantur.*

#### PUNCTUM XIV.

*Quando licitè, & quando illicitè  
suscipiantur Sacramenta?*

42. RESOL. I. Regula Generalis esto, tunc licitè suscipi Sacramentum, quando adultus suscipiens omnia ea præstat, quæ ex parte ipsius tùm ad validitatem, tùm ad decentem usum Sacramenti, tùm ad recipiendum effectum principalem Sacramenti, seu gratiam sanctificantem sunt necessaria, vel hîc & nunc esse conscientia inculpabilis dicat. Si præstet ea, quæ re ipsa sunt necessaria per se, vel sufficientia per accidens ad effectum principalem, tunc suscipit Sacramentum *licitè & fructuosè* simul: si præstet solùm, quæ sibi conscientia

tia inculpata dicitur hic & nunc esse necessaria, vel sufficientia, ex errore tamen aliquid omittit, quod sibi esset necessarium, tunc quidem suscipit licite, sed infructuose. V. g. si oblitus quis peccati mortalis invincibiliter absque ullo dolore prævio susciperet aliquod Sacramentum vivorum; susciperet licite, quia bona fide se reputaret hominem justum, justus autem ad licitam & fructuosam receptionem Sacramentorum alia dispositione non indiget, quam intentione suscipiendi Sacramentum, excepto Sacramento Pœnitentiæ, ad quod indispensabiliter requiritur actus doloris, quasi pars essentialis: attamen susciperet infructuose, quia secundum modernam legem nullus hominum, qui propria voluntate peccavit, absque proprio supernaturalis retractationis actu gratiam justificationis potest accipere, ut rectè ex *Trid. Sess. 6. Can. 3. & ex cit. cap. majores, §. verùm quidam. de Bapt.* colligunt Bosco, & Palao contra Cajetanum & Hiquæum.

RESOL. II. Illicite ergò, & cum additione novi peccati mortalis contra Virtutem Religionis, suscipit Sacramentum, qui voluntariè omittit aliquid ex parte sua ad valorem Sacramenti requisitum, v. g. intentionem necessariam; vel in Sacramento Pœnitentiæ dolorem universalem de omnibus mortalibus; aut Confessionem formaliter integram; vel si attentet suscipere aliquod Sacramentum, cujus non est  
ca-

capax, ut si foemina vellet ordinari, homo sanus inungi, solemniter professus, vel in sacris constitutus inire Matrimonium; quia talis irrideret Sacramentum, cum gravissima utique ejusdem injuria.

44. RESOL. III. Illicite cum gravi culpa suscipit, omittens aliquid eorum, quae ad decentem usum Sacramentorum sub gravi praeepto DEI, vel Ecclesiae requiruntur, aut contrarium faciens; v. g. finens se ordinari per saltum; cum sola contritione, absque Confessione peccati mortalis, vel non jejunus accedens ad Sacramentum Eucharistiae; cum excommunicatione vel interdicto personali percipiens Sacramenta à Pœnitentia distincta; aut ordinari se faciens, non praemissa dispensatione in irregularitate.

## PUNCTUM XV.

*Num sint & alii illicitae susceptionis modi?*

45. RESOL. I. Sunt & quidam alii. Nam primò illicite *Sacramenta mortuorum* suscipit, qui reum se cognoscens alicujus peccati mortalis personalis, praeter fidem & spem non etiam praemittit aliquem actum supernaturalis Pœnitentiae, videlicet contritionem, vel saltem attritionem, ex DEI praeepto necessariam, ut peccatori gratia justifi-

stificationis conferatur. Imò & is, qui carens peccato mortali, Sacramentum absolutionis absque dolore prævio supernaturali de uno saltem veniali confessio susciperet, mortaliter peccaret, eò quòd Sacramentum aliquo requisito essentiali privaret. Qui tamen cum solo originali, & peccatis venialibus Baptismum vellet suscipere, non necessariò præmittere deberet actum Pœnitentiæ, cum non sit illius pars vel requisitum essentiali, sed solos actus fidei & spei; *sinè fide enim impossibile est placere DEO. Heb. 11.* ut inquit Reginaldus, & Sporer *Part. 1. cap. 1. num. 193.* Judico tamen etiam addendum esse actum charitatis perfectæ, si eum tempore vitæ suæ nunquam adhuc elicuerit; non quidem ex eo, quòd hic actus sit dispositio necessaria ad susceptionem Baptismi (alioquin nunquam Baptismus posset causare primam gratiam, sed eam semper præsupponeret) sed quia præcepta propria fidei, spei, & charitatis in principio morali usûs rationis obligant secundum communem Doctrinam Catholicorum, quod in tali homine adesse suppono. Unde etiam Tridentinum *Sess. 6. cap. 6.* ubi modum præparationis ad Baptismum explicat, tres illos actus recenset.

RESOL. II. Illicitè *Sacramenta vivorum* 46. recipit, qui conscius sibi de aliquo peccato mortali, non priùs gratiam primam justificationis per contritionem perfectam, vel  
Con-

Confessionem, quâ ex attrito contritus fiat, nititur reparare; quia hæc ideò dicuntur Sacramenta vivorum, quòd radicem vitæ supernaturalis, seu gratiam sanctificantem in subjecto vi suæ institutionis primariæ præsupponant. Hinc licèt suprâ *num. 32.* cum communiore dixerim, conjuges *ut ministros* non peccare mortaliter, si in statu peccati mortalis Matrimonium contrahant, quia non sunt ad hoc Ministerium specialiter consecrati, vel deputati: adhuc tamen peccant mortaliter *ut suscipientes* indignè hoc Sacramentum. At Sacerdos in tali statu celebrans peccat ad minus duplici peccato mortali contra Religionem, semel *ut conficiens* Sacramentum, dum consecrat, & semel *ut suscipiens*, dum sumit: in rigidiore verò sententia, de qua dixi *num. 40.* etiam peccat tertio peccato mortali, nempe *ut sibi distribuens* Sacramentum Eucharistiæ. De quibus tamen sufficienter se explicat in Confessione dicendò, se in statu peccati mortalis celebrâsse.

47. RESOL. III. Possunt insuper tam ministrantes, quàm suscipientes graviter peccare peccato omissionis, quando negligunt ministrare, vel suscipere Sacramenta, dum obligantur. Obligantur autem omnes, quot quot validè & licitè possunt, *ex charitate* aliis Sacramenta ministrare, dum extrema, aut gravis urget necessitas: alii verò, quibus id incumbit ex officio vel ratione stipendii, vel promissionis, vel pa-

cti;

eti, obligantur *ex justitia* toties, quoties tale debitum ab eis rationabiliter exigitur; unde isti negligentes suum Ministerium peccant contra justitiam, illi contra charitatem, neutri autem contra Religionem, cum nec Sacramento neglecto irreverentiam, nec præcepto alicujus Religionis contemptum intulerint. Econtra negligentes suscipere Sacramenta, quando per se, id est, ob effectum proprium, utilitatemque ipsorum Sacramentorum, obligantur, peccant contra virtutem Religionis, cum ex istius Virtutis motivo proprio præceptum hoc sit eis impositum. Ità peccant negligentes Confessionem annuam, communionem in Paschate, & in articulo mortis. Dixi, quando *per se* obligantur; quando enim præceptum alicujus Sacramenti solum obligat per accidens, puta præceptum Confirmationis ad gravem tentationem in fide vincendam, vel ad evitandum scandalum, tunc omittere non est peccatum specialiter contrarium Virtuti Religionis, sed ei, ex qua illa obligatio oritur, nimirum in primo contra Virtutem fidei, in secundo contra virtutem charitatis. Vide Reginaldum *oto cap. 8. de his differentem.*



D

Di-